



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Posteriores Libros Septem De Habituali Gratia, Sanctificatione
Hominis, Ac Merito

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

Cap. XXXI. Vtrum in beatitudine nouus gradus gratiæ, aut gloriæ, sine vllo
merito de condigno illis tribuatur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94104)

CAPVT XXXI.

Utrum in beatitudine nouus gradus gratiæ, aut gloriæ sine ullo merito de condigno illis tribuatur?

1. *Ratio dubij ab axioma Theologorum.*
Solum hoc dubium superest circa præmia de condigno tractandum, & coniungimus gratiam cum gloria, quia gloria essentialis non nisi seruata proportionem cum gratia potest connaturali modo, & secundum potentiam ordinariam augeri. Ratio autem dubitandi oritur ex quodam Theologorum axioma, quod Deus præmium vltra condignum, & potnam citra condignum retribuit. Quod quidem quoad posteriorem partem tradidit Magister in 4. distin. 46. & Diuus Thomas 1. p. quæst. 21. art. 4. ad primum in dicta vero dist. 46. quarti q. 2. ar. 2. vtrumque coniungit, quærens, an Deus in hoc semper misericordiam exhibeat, quod punit citra condignum, & remunerat vltra meritum? & respondet his verbis: Deus semper dat vltra condignum de bonis, & semper mala pœniturget citra condignum. Bonauentur. vero ibi art. 2. q. 2. dixit. In retributione bonorum seruare Deum iustitiam, & misericordiam, quia non retribuit, nisi merenti, & supra illud, quod meruit, & cum proportionem aliud membrum explicat, & fere idem habet Richard. art. 2. quæst. 3. Scot. q. 4. art. 4. cum in ultimis verbis solutionem argumentorum, & in 1. d. 17. post q. 3. respondendo. Ad primam questionem, sub §. Sed tunc, versic. Respondet in hoc, &c. Et idem admittit Caietanus eidem Scot. respondens dicta q. 11. art. 3. Et in confirmationem huius sententiæ solet affiri Bulla Pij V. & Greg. XIII. in qua damnantur propositiones Baij, inter quas 14. alias 15. erat. Opera bona iustorum non accipiunt in die iudicii amplius mercedem, quam iusto Dei iuxta axioma ex dicto merentur accipere. Hæc autem propositio, si præ Bulla Pontificum, & subsequens consideretur, non damnatur, quia negaret præmium vltra condignum respectu operum, prout à gratia procedunt, sed quia dicebat ille auctor, opera non remunerare secundum valorem, quem habebant ex Spiritu adoptionis, & gratiæ, vt in præcedenti propositione elixerat, & repetit in sequenti, & in hoc sensu dicit in illa 15. quod in die iudicii non recipiunt mercedem, nisi iuxta meritum, quod ex se, & ex bonitate sua morali habent: quod merito damnatur, quia nimium ad Pelagianum dogma accedit. Et ideo illorum Pontificum iudicium nihil ad præsentem causam facit.

2. *Fundatur tamen in Patribus.*
 Habet tamen axioma illud Theologorum in Sanctis Patribus fundamentum. Nam Gregorius in Psal. 142. qui est septimus Pœnit. circa illa verba. Audiam fac mihi mane misericordiam tuam, per mane intelligit diem æternitatis, vel extremi iudicii, in quo iusti vocem illam audient, Venite benedicti Patris mei, quam dicit esse vocem misericordiæ. Et ita timor obicit. Quod si illa sanctorum felicitas misericordiæ est, & non meritis acquiritur, vbi erit, quod scriptum est: Tu reddes unicuique secundum opera sua? Et respondet, illam gloriam dari quidem secundum opera, sed excedere opera, & in hoc esse misericordiam. Illi enim beate vite nullus (inquit) potest æquari labor, nulla opera comparari cum Apostolus dicat: non sunt condigne, &c. Quamuis ita addat aliud responsum, quod illa gloria dicitur misericordiæ, quia pro illis operibus datur, quæ sine præuentu misericordiæ Dei nemo assequitur. Simili fere modo loquitur Fulgentius libro primo ad Monim. capite vigesimo, tractans locum Pauli Romanor. sexto. Gratiæ Dei vita æterna, post expositionem Augustini, quod gloria dicitur gratiæ, quia meritis gratiæ redditur, addit. Gratiæ autem etiam non iniuste dicitur, quia non solum donis suis Deus dona sua reddit, sed quia tantum etiam ibi gratia diuinæ retributionis exuberat, vt incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum, quamuis bonæ ex Deo data voluntatis, atque

Par. 3.

etiam operationis excedat. Quod confirmat ex illo Romanor. octauo. Non sunt condigne passionibus huius temporis ad futuram gloriam, & Secundæ Corinth. quarto. Quod momentaneum est, & leue, &c. & Hilar. in Psalm. 51. in fine exponens illud. Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei speraui in misericordia, &c. Et afferens illud, Melior est misericordia tua super vitas, dictum esse ait: Quia quamuis probabilis per iustitiam operationes vitæ iustorum sit, tamen per misericordiam Dei plus meriti consequetur. Ad hoc etiam videtur alludere Basiliius hom. li. in Psalm. 114. nam exponens verba illa: Misericors Dominus, & iustus, inquit, Vbiq. Scriptura misericordiam Dei, iustitiam coniungit, nos plane erudiens quæ admodum nec misericordia Dei sint iudicio, nec iudicium sine misericordia sit. Sed cum miseretur, etiam cum iudicio miserationes suas ijs, qui dignissima admittunt, & cum iudicat, commensuratum quoque nostræ infirmitati iudicium inferat, benignitatis nos affectu potius, quam æqui compensatione nos plectens. Vbi de retributione pœnarum loqui videtur, sed est maior ratio de præmijs. Vnde inferius circa illa verba: Converterte anima mea in requiem tuam. Manet (inquit) requies semper in illis, qui in hac vita legitime certauerunt, non tanquam debitum operibus redditum, sed ob munificentissimam Dei gratiam, in quo sperauerunt, exhibita. Vbi certe non negat iustitiam præmiorum, sed abundantiam, & excessum confirmat. Bernardus etiam sermone primo de Annuntiat. eodem modo loquitur, & in eodem sensu videtur intelligendus, ne illi error tribuatur. Ait enim vnumquemque credere debere quod æternam vitam nullus potest operibus promereri, nisi gratis datur, & illa Vbi verbum, operibus, stricte, & rigore accipiendum est, vt à gratia distinguitur. Et in eodem sensu subdit. Nequæ talia sunt hominum merita, vt propter ea vita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniustitiam aliquam faceret, nisi eam donaret. Id vero explicans concludit. Nam vt tacitam quod merita omnia dona Dei sunt, & ita homo propter ipsa magis Deo debitor est, quam Deus homini, quid sunt merita omnia ad tantam gloriam. Adde Chrysostomum homilia trigesima septima, in Genes. dicentem, Deum immensam suam liberalitatem in eo nobis ostendere, quod vel minimis operibus prouocatus nos absque mora magis donis remunerat, si fidem sinceram, & mundam mentem habeamus.

Propter hæc dixerunt aliqui, Deum in remuneratione iustorum, præter omnes gradus gloriæ, qui eorum meritis de condigno respondent, alios ex sola sua munificentia superaddere. Ad quod consequens est, vt dicere etiam teneantur, vltra omnem intentionem gratiæ, quam in via homo habuit, & vltra omne illius augmentum, quod viator promeruerit: ex pura Dei liberalitate nouum, ac peculiare augmentum per aliquot gradus intensiōis ex sola Dei liberalitate recipere, vt hoc modo gratiæ gloria commensuratur. Atque in hoc sensu intelligunt illud axioma, quod Deus præmiat vltra condignum, illudq. nonnullis Scripturæ testimonijs confirmant. Præcipuum est illud Lucæ sexto. Mensuram bonam, & conferam, & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum. Nam per hæc significari videtur, mensuram gloriæ non tantum æqualem meritis, sed superabundantem futuram esse. Et fortasse ideo Matthæi quinto, Copiosa merces appellatur. Et hæc testimonia pro omnibus beatis facere videntur. Et potest addi coniectura, quia decet magnificos, vel liberales Reges vltra rationem promissum, vel æquale stipendium aliquid liberaliter conferre strenue militantibus, aut laborantibus. Addit vero Bellarminus hoc auctarium vltra condignum non dari ex æquo, neque omnibus beatis, idemque confirmat, cum ex parabola vineæ, vbi Dominus iussit integrum denarium dari non per integrum diem laborantibus. Quod non ex iustitia, sed ex liberalitate fecisse ostendit, cum dicit. An non licet mihi, quod volo facere, &c. tum ex alia parabola talentorum, vbi ei, qui strenue negotiatus fuerat, vltra condignum præmium significatum per imperium in decem ciuitates, datur liberaliter talentum, quod ab alio ne-

Opinio 1. in hoc cap. affirmans.

Confirm. 1. ex Script.

Confirm. 2. ex coniectura.

gligente fuerat ablatum. Et hic etiam addi potest congruentia, quia ut Deus se ostendat supremum dominum, qui legibus iusticiæ non arctatur, neque ea tantum reddit bona, quæ meritis debentur, neque eandem liberalitatem cum omnibus exercet, sed sicut vult.

4. Assertio 1. Ego vero in hoc puncto in primis cenfeo, non posse cum fundamento affirmari iustis plene purgatis in primo suæ glorificationis instanti dari aliquos gradus intensiōis gratiæ, aut gloriæ mere gratis, & ultra omne meritum, quod iustus in via habuerit. Ut hoc probetur, circa gratiam in primis abstinendum est ab illis quæstionibus, an gratia per peccatum perdit tota restituatur statim, quando peccatum remittitur, & an homini merenti augmentum gratiæ, statim in via totum tribuatur, vel aliquod in ingressu patriæ dandū referretur, hæc n. nihil ad presens referunt, dummodo asseratur dari per modum præmij nondum soluti, hoc enim est, quod præcipue intenditur. Quia vero nos credimus, statim ei dari, & si quod forte peccando amisit, cum reuiviscit, statim restitui: ideo absolute dicimus, non posse cum fundamento affirmari, in ingressu patriæ aliquos gradus intensiōis gratiæ gratis superaddi siue omnibus, siue aliquibus beatis. Et hoc est, quod præcipue docuit Vega q. 5. de iustificat. ad 2. & consentiunt alij infra citandi. Et probatur, quia donatio talis augmenti gratiæ opus est mere supernaturale, & pendens ex libero beneplacito voluntatis Dei: sed hæc voluntas non potest ratione ostendi, ut per se notum est: quia ex nullis principijs fidei necessario colligitur, neque etiam est nobis reuelata vel in Scriptura, vel ex Patrum traditione: ergo. Prior pars probatur, quia ex principijs fidei duas tantum habemus vias comparandi gratiam sanctificantem, de qua tractamus, sc. aut sacramenta, aut opera ex gratia facta, quæ vel ad primam gratiam comparandam meritorie augeant, ex quibus principijs nihil profecto de augmento gratiæ in statu gloriæ colligi potest.

5. 2. pars ostenditur explicando loca Scripturæ in contrarium. Altera vero pars de reuelatione, seu testificatione authentica, & immediata illius dogmatis, seu augmenti, quantum ad Patres spectat, probabitur statim in n. 17. explicando prius axioma illud de redditione præmij ultra condignum. Quoad testimonia vero Scripturæ facile probari potest. Quia vero illa testimonia, quæ adducuntur, de mensura beatitudinis loquuntur, supponimus, eandem esse rationem de beatitudine, seu gloria, quæ de gratia, quia, ut sepe dixi, hæc seruant inter se proportionem. Unde si gratia viæ non augetur gratis in ingressu patriæ, neque visio maior datur, quam respondeat gratiæ in via obtentæ: & ita nullum augmentum beatitudinis gratis superadditur. Item si habitus gratiæ non crescit, nec habitus charitatis crescit: ergo nec amor beatificus est intensior, quam habitus: ergo neque lumen gloriæ, aut visio intensiora sunt. Iam ergo probatur, ex testimonijs Scripturæ allegatis non colligi tale beatitudinis augmentum. Nam in primis beatitudinis præmij, etiam si non excedat rigorem meritum de condigno, dici potest mensura bona conferta, & agitata, & superfluenta, vel eo modo quo ad Rom. 8. dicuntur passionibus huius vitæ non esse condigna ad futuram gloriā, utique vel comparando præmij ad opera secundum se spectata, vel comparando ea secundum id, quod formaliter habent, scilicet durationem vnius cum duratione alterius, perfectionem operum viæ cum perfectione actuum patriæ, aut dolorem viæ cum gaudio beatitudinis. Sic mensura præmij nimium superfluit in esse rei (ut sic dicam) licet in esse præmij non excedat meritum. Vel etiam dici potest illa mensura cogitata, &c. Quia cum in præmio iusto possit esse latitudo (ut supra dicebam) intra quandam moralem æqualitatem, reddet Deus præmij summum intra

illam latitudinem, etiam si nihil illius ultra condignitatem, & præmij iustorum conferatur. Quia promissio facta iustis bene operantibus cum illa munificentia, & perfectione facta est. Et hoc etiam satis, superque est, ut iustorum merces copiosa in celo esse dicatur. Est enim copiosa tum in excellentia perfectionis absoluta, quam in esse rei habet, tum comparatione ad opera meritoria secundum formalem eorum perfectionem, tum denique intra latitudinem iustæ mercedis in supremo gradu conferatur, modo explicato. Et hanc expositionem indicant, qui verba illa non tantum de præmiorum, sed etiam de penarum mensura interpretantur, quia illa erit etiam cummulata, si cum operibus huius vitæ formaliter comparatur, ut ibi ait Theophylactus.

Addo etiam, in his locis sæpe tantum indicari excellentiam operis propter magnitudinem præmij dandi propter tale opus, ut dicto capit. 6. Lucæ de his, qui propter Christum multa, & gravia mala patiuntur, dicitur. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in celo.* Et de his sermo est Matthæi quinto, cum eis copiosa merces promittitur. Et similiter eodem Luc. 6. de diligentibus inimicos, & de ijs, qui alijs bene faciunt, nihil ab eis sperantes. In quo solum significatur, talia opera esse valde perfecta, idque posteriori ex magnitudine præmij ostenditur. Quod tamen non dicitur magnum, aut multum, quia aliquid ultra meritum gratis addatur, hoc enim perfectionem operis non ostenderet, sed liberalitatem dantis. Dicitur ergo, quia comparatione aliorum operum illa habebant maiora præmia. Et eodem modo illud de mensura bona, conferta, &c. referri potest non ad præmij omnium operum absolute, sed illorum, quæ ibi Christus commendabat, nimirum, *dimitte, ut dimittamini, date, & dabitur vobis, & similia*, quæ comparatione aliorum meliorem præmij mensuram habent. Et iuxta hunc sensum tacite exposuit Maldonat. in Luc. 17. vertic. 10. verba illa capitis sexti, *mensuram bonam*, de cumulo præmij, quod non tantum præcepta, sed etiam consilia obseruantibus retribuitur. Alij vero omnibus illis verbis nihil aliud, quam excellentiam præmij celestis comparatione omnium terrenorum bonorum, ac præmiorum significatam esse putant, quod plane sentit Augustinus libro secundo. Quæstion. Evangelicæ quæstione 8. & sequitur ibi Maldonat, & Ianlen. capite 43. Concord. qui ita exponit. *Dabitur vobis copiosissima, & abundans remuneratio, proportionata tamen vestra liberalitati.* Ad hoc enim significandum, remunerationem vocavit mensuram. In quo vitio verbo indicat, ex ipsamet metaphora, qua Dominus vititur, colligitur illa verba noluisse liberalem aliquam donationem ultra remunerationem condignam significare, sed excellentiam, & abundantiam præmij, intra mensuram vero aliquam iustæ remunerationis exaggerare voluisse.

Neque plus probant adductæ parabolæ, circa quas in primis aduerto, etiam si quis volutarie asserere velit, dari sanctis in patria aliquod gloriæ augmentum etiam ultra id totum, quod ex meritis debetur: in primis parabolæ, non de quibusdam tantum, sed de omnibus id asserere oportere, alias nimis esset voluntaria, & singularis assertio, tum quia Theologi dicentes, Deum præmij dare ultra condignum, non de quibusdam, sed de omnibus, quibus illud præmij datur, affirmant: tum etiam quia si quæ est coniectura ad id asserendum, ex munificentia, & largitate præmiantis, quæ ad omnes beatos generalis est, sumitur. Deinde consequenter oportebit etiam asserere, illum excessum nec esse æqualem in omnibus absoluta æqualitate, nec dari inæqualiter solo arbitrio, & sine vilo respectu ad opera, seu excellentiam sanctitatis, sed esse inæqualem simpliciter cum quadam æqualitate proportionis. Ita docui in primo tomo

primæ partis tract. 2. lib. 2. de Attribut. negatiu. Dei, cap. 20. num. 14. & notauit Vega, & quidem prudenter, & valde contentaneæ ad Scripturas docentes vnunquemque hominum recepturum gloriam secundum opera sua, quæ in rigore significare videntur, nihil gloriæ, nisi ex meritis dari his, qui secundum opera iudicantur: si tamen admittatur aliquod aliud augmentum, credendum est, dari etiam cum aliqua proportionem ad opera, vt proprietates, & veritas illorum verborum melius subsistat: nam vniciuque dabitur maius, aut minus liberale augmentum secundum proportionem ad maiora, vel minora merita. Ex his ergo colligo, non posse parabolas supra adductas de illo excessu gratuito in premio in bonis beatificis intelligi, cum ex illo sensu inferatur, hoc augmentum non omnibus dari, neque cum aliqua proportionem, vel respectu ad opera, sed quibuscumque, & pro solo Dei arbitrio, ad hoc enim probandum parabolæ sic exposte inducuntur: illa autem distributio Deitæ voluntaria non pertinet ad gloriam, sed ad gratiâ, non in statu beatitudinis, sed viæ. Et ita communiter parabolæ illæ exponuntur.

Corollar.

8.
Parabola
de vinea
amplior ex
positio.

Atque ita late in 1. p. tract. 2. lib. 2. de Attribut. negatiu. Dei capit. 20. à n. 8. exposuimus parabolam de mercenariis laborantibus in vinea tempore, & labore inæquali, & postea integrum denarium recipientibus. Et ostendimus, eos nec recepisse quale præmium, nec eos, qui maius præmium receperunt gratis, & non iuxta proportionem meritorum illud recepisse, quauis ex inæquali gratia in hac vita laborantibus concessa orta fuerit. Aqua etiam oritur, vt in minori tempore, vel cum inæquali etiam externo labore maius præmium aliquis promereatur. Et ita verba illa Patris familias: *An non licet mihi quod volo facere?* licet propter denarii aequalitatem, seu præmii inæqualitatem dicta videantur, nihilominus propter radicem gratiæ dicta fuisse, & ita intelligenda esse, quia inde orta fuit distributio, seu solutio stipendii, de qua mercenarii conquebantur, quorum os voluit Pater familias vno verbo obstruere, & ideo ita respondit, quauis re vera tota ratio dandi talem mercedem, & tali modo, ex gratia, à qua merita præcipuum valorem habent, dimanasset. Idem euidentissimum est in alia parabola de talentis apud Matthæum, seu de minis apud Lucam. Quia per talenta non dona gloriæ, sed gratiæ, quæ in via dantur, significata sunt, siue illa sine gratiæ gratis datæ, siue gratiæ faciendis. Nam illa talenta data sunt ad negociandum & merendum, & iuxta bonum illorum vsum præmia data dicuntur, ergo talentum ablatum à seruo pigro, & otioso non fuit talentum gloriæ, sed gratiæ. Quod autem additur, illud talentum datum esse alteri, qui strenue negotiatus fuerat, Maldonatus exponit, non oportere, ad literam accommodari ad rem per parabolam intentam, nimirum, gratiam Dei dari, vt per illam mereamur, & vnunquemque accipere præmium, iuxta opera ex gratia facta, qui vero gratia bene non vtitur, illâ, eiusque præmio priuari. Quod autem illa gratia detur alteri, nec necessarium est, nec id videtur facere Deus: tamen quia homines solent id facere, quasi ad materiale complementum parabolæ id adiectum est. Dico vero, quod licet necessarium non sit, ab vno gratiam auferre, quando vult alteri dare, solere nihilominus quando vnus male vtitur donis suis, præsertim ad aliorum vtilitatem datis, illum abiciere, & loco illius alium assumere, qui bene, & vtiliter per gratiam ministret, & hanc gratiam sæpe addit alteri, qui iam multa bona receperat. Vtunque vero id explicetur, sermo est de dono gratiæ in hac vita dato, vt principio merendi, non de augmento gloriæ, & ideo nihil ad rem præsentem parabola facit. Nec inuenio aliquem, qui parabolam illam aliter intellexerit.

9. Vnde dico secundo. Verisimilius multo est, nec

gratiam, nec gloriam dari liberaliter in patria ultra omnia merita. Ita sensit Vega quæstione quinta de Iustificatiõ. ad 2. vbi de opposita sententia solum ait, gratis dici. Idemque videtur sensisse Vazquez prima secundæ disputatione octaua, capite secundo numero decimo: quatenus ait, gratiam in patria non consummari per additionem alicuius entitatis in ipsa, sed per solam additionem visionis beatæ, quod verum non esset, si aliqua noua intentio gratiæ in ingressu beatitudinis fieret. Postea vero disputatione 215. capite 4. numer. 21. dicit, se libenter concedere, Deum ex affluentia gratitudinis aliquid magis addere gloriæ, quam merita Sanctorum condigne postulent, quia pium est hoc credere de diuina bonitate. Vnde necesse est, vt pie etiam credat, gratiam in patria non consummari sine additione alicuius modi intentiui, seu entitatis realis per aliquos gradus intentionis. At vero Ægydius à Præsentatione libro quarto de Beatitudine quæstion. 3. num. 20. certissimum esse dicit, gratiam in Patria ingressu non intendi, illam vero certitudinem solum ex eo colligit, quia visio beatæ non augetur ultra opera, quoniam solum datur per modum præmii, & coronæ iustitiæ, gratia autem non augetur, nisi cum proportionem ad visionem. Hæc vero ratio non conuincit tantam certitudinem, quia licet Scriptura doceat, vitam æternam dari vt coronam iustitiæ, & præmium meritorum non ita expresse negat aliquod augmentum vitæ æternæ dari ex sola misericordia, & munificencia Dei. Præsertim quia in hoc ipso augmento, quauis liberali, potest seruari aliqua proportio ad merita, vt paulo antea dicebam, nimirum, maiori liberalitate vtendo cum eo, qui potiora habet merita: sic enim verum erit, quod Deus vniciuque reddet secundum opera sua, siue præmium reddat, siue gratiam superaddat, vtunque enim faciet cum aliquo respectu ad opus proportionem, vnum per respectum iustitiæ, aliud per respectum congruitatis, & decentiæ. Sicut dicunt Theologi, Deum punire citra condignum, & nihilominus in pœnis reddendis proportionem seruare, quia in ea pœnarum mitigatione, etiam seruat proportionem ad opera.

Assertio 2.

Alibi aliter
sentire vi-
detur.

Ratio Aegidij
minus
probat, quia
ipse assue-
ret.

Quauis autem hæc ita sint, nihilominus, quantum coniectura vti licet, verisimilius, & probabilius iudico, non dari sanctis tale augmentum gloriæ gratuitum, & consequenter nec gratiæ intentionem ultra receptam in via. Ratio est, quia non solum non habemus in Scriptura, vel Ecclesiastica traditione fundamentum ad hoc asserendum, sed potius habemus in Scriptura frequentem loquendi modum non parum repugnantem, vt est ille Pauli ad Roman. 2. *Qui reddet vniciuque secundum opera eius.* Dicunt aliqui, solum loqui Paulum de partitione veluti generali inter bonos, & malos, quia illis reddet secundum opera vel præmium, vel pœnam. Sed non placet, dixerat enim Paulus: *Secundum duritiam tuam & impenitentem cor, thesaurizasti tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicii Dei.* Thesaurizare autem iram, vt notauit Gregor. homil. 13. in Ezechiel, nihil est aliud, quam augendo delicta augere pœnam, & meritum eius. Cum ergo subdit Paulus. *Qui (scilicet Deus) reddet vniciuque secundum opera eius,* non solum intelligit in genere secundum opera bona, vel mala, sed etiam in gradu, seu proportionem ad opera, eorumque quantitatem malitiæ, vel bonitatis, alias non recte inde ostenderet, peccatorem secundum duritiam suam thesaurizare sibi iram. Neque huic sensui verba sequentia repugnant, sed potius illum confirmant. Sequitur enim, & dicit: *Is quidem, qui secundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem vitam æternam, is autem, qui sunt ex contumelia, &c. Ira, & indignatio.* Vbi quod ait, secundum patientiam boni operis, non tantum significat, vitam æternam esse reddendam patienter querentibus illam,

10.
Verisimili-
or opinio
negans.
Eius ratio
ex Rom. 2.

Responsio
ad locum
citatum non
satisfacit.

Confirmatio pro dicto loco ex alijs Scripturis.

sed etiam significat esse reddendam secundum gradum, & modum patientiæ, & bonorum operum, hanc enim vim habet illa particula secundum, vt ex contextu, & intentione Pauli manifestum est, & ex loco Psalm. 61. ex quo Paulus illam sententiam sumpsit. Tu reddes unicuique iuxta opera sua, vel certe ex verbis Christi Matth. 16. Filius hominis veniet in gloria Patris sui, & tunc reddet unicuique secundum opera eius. Et simile est, quod dicitur Apocalyp. 22. Ecce ego venio cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera eius. Idque magis explicans Paulus. 1. Corinth. 3. ait. Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem, & 2. ad Corinth. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.

11. Ex his ergo, & similibus testimoniis toties in Scriptura repetitis non solum affirmatiuam regulam colligitur non solum daturum scilicet Deum vitam æternam cum perfectione, & condigna meritorum retributione, sed etiam exclusiuam (vt ita dicam) regulam accipimus, nimirum merita huius vitæ esse vnicam & adæquatam rationem proximam, propter quam gloria conferatur, ita vt nihil illius conferatur, nisi iuxta proportionem meritorum vitæ, quando enim Scriptura aliquid definite tradit sub aliqua certa mensura, numero, aut alia simili ratione, semperque tali præfiso modo loquitur, non solum affirmationem continere solet, sed etiam præcisionem, & exclusionem alterius modi. Vt quia docet, tres esse personas in trinitate, simul docere censetur, non esse plures. Et quia docet, sanctificari homines in hac vita per sacramenta, vel opera ex gratia facta, recte intelligimus, etiam docere, non esse alium modum sanctificationis, neq; Deum secundum legem ordinariam dare viatoribus sanctitatem, vel augmentum eius ex mera voluntate, sine aliquo ex dictis medijs. Sic ergo quia nunquam Scriptura docet, gloriæ modum, aut quantitatem dari, nisi per proportionem ad merita vitæ, merito intelligimus, illam esse vnicam mensuram gloriæ, & virtute excludi liberale augmentum gloriæ sine vilo respectu ad merita vitæ, saltem secundum ordinariam legem, per quam Deus non ardetur, quominus possit priuilegia specialia concedere, quauis de his etiam nihil possit ad nobis temere, & sine fundamento affirmari. Et hoc etiam confirmat illud Apostoli. 2. Corinth. 9. Qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Et illa parabola minarum, Luc. 19. vbi præmium redditur cum proportionem ad lucrum, nam qui mina accepta decem lucratus fuit, potestatem super decem ciuitates accipit, & qui lucratus est quinque, totidem ciuitatibus præfiscitur: significat ergo Dominus in gloria retribuenda proportionem ad merita omnino seruari. Cum autem de meritis in hac resolutione loquimur, non excludimus, quin multi in cælo habituri sint gloriam sine proprijs meritis, sed loquimur de iis, qui propria merita habere potuerunt, & propter ea gloriam recipiunt. Cum proportionem autem intelligenda est doctrina de reliquis, qui propter sola Christi merita sibi applicata salutem accipient: nam illi etiam non accipient gloriam in futura vita, nisi iuxta mensuram gratiæ, quæ in via per applicationem meritorum Christi receperunt, quia solus status vitæ, & solus sacramentorum vsus ad illum sanctificationis modum, & illam meritorum Christi applicationem concessus est.

12. Ad axioma initio allatum i. responsio.

Neq; huic resolutioni obstat axioma illud, Deum dare præmium vltra condignum, potest enim plures habere sensus veros, etiam si gratia, vel gloria essentialis vltra merita non augeatur. Primus sensus est, præmium illud esse vltra condignum, quia in meritis iustorum, etiam vt à gratia procedunt, nulla est æqualitas, vel condigna proportio cum illo præmio, sed ex sola Dei ordinatione, & acceptance redditur, ac si talis proportio interueniret. In hoc

sensu loquuntur multi ex scholasticis citatis, præsertim Durand. & Scot. & aliqui moderni supra cap. 1. & 17. allegati. Inter quos notari potest discriminem. Nam Durandus etiam posita ordinatione Dei, negat meritum esse condignum, iuxta quam sententiam absolute verum est, Deum etiam nunc dare præmium vltra condignum. Alii vero putant, opus, quod ex se non esset condignum, per Dei ordinationem fieri condignum, & ideo posita ordinatione, iam non præmiare vltra condignum, licet respectu operis secundum totam suam dignitatem spectati præmieret vltra condignum. Et hoc sentiunt Scot. & aliqui Nominales dicto cap. 17. citati, & Vega dicta quaest. 5. ad 2. Vnde consequenter dicit, si Deus certa lege statuisset acceptare iustorum opera ad maiorem gloriam, quam nunc acceptat, non magis futurum fuisset præmium vltra condignum, quam nunc, quia ante Dei ordinationem vtunque excedit, post illam vero vtunque est condignum. Sed hæc licet consequenter dicantur, falso fundamento nituntur, vt dicto c. 1. & 17. ostensum est.

Secundus sensus axiomatis est, vt in illo dogmate comparatio fiat inter præmium gloriæ, & opera, ac labores, & passionem huius vitæ secundum se spectata, vt sunt opera quædam humana, & libera. Et hoc modo merito dicitur præmium illud esse vltra condignum, non solum in esse rei (vt sic dicam) sed etiam in esse meriti, ac præmii, quia opera se spectata non habent proportionem cum tali præmio, vt in superioribus visum est. Et sic opponitur illa sententia errori Bani dicentis, Deum in iudicio non reddere operibus maius præmium, quam ipsa ex se, quatenus sunt quædam legis obedientia, mereantur accipere. Fundatur autem in illo sensu axioma illud in testimonio Pauli ad Roman. 8. Non sunt condigne passionem huius temporis ad futuram gloriam, & 2. ad Corint. 4. Quod momentaneum est, & leue tribulationis nostræ, æternum gloria pondus operatur in nobis. Hæc enim locuta communiter ab expositioribus ibi intelliguntur. Tertius sensus axiomatis est, vt ibi comparatio fiat inter gloriam, & opera iustorum etiam vt sunt à gratia, & ab Spiritu Sancto, & sic præmium dicitur esse vltra condignum, si comparatur ad opera meritoria in esse rei, id est, quoad formales proprietates, quæ in gloria, & in operibus meritorijs inueniuntur, non tamen inde fit, vt sit supra condignum, si in ratione præmii, & meriti comparentur: nam licet in proprietatibus realibus, ac physicis, id est, in specie virtutis, vel in intensione, duratione, vel in comparatione doloris ad gaudium, & similibus opus meritorium inferius sit, nihilominus in proportionem, & valore morali ad meritum requisito potest esse condignum, vt in ipsamet Christi passione videlicet: nam si dolor eius, vel ignominia cum gaudio, & claritate cælestis gloriæ comparatur, profecto excedit magnitudo gloriæ acerbiter passionis. Et nihilominus in valore meriti non solum exæquat, sed etiam infinitè excedit Christi passio gloriam omnium beatorum. Ita ergo opera iustorum vt à gratia procedunt, licet in formali, & quasi physica comparatione inferiora sint, in proportionem, & valore meriti eondignitatem habent, vt in principio huius libri declaratum est.

Quartus sensus illius axiomatis esse potest, quod Deus præmium det vltra condignum, intra latitudinem tamen iustitiæ. Nam si is, qui emit, cum possit rem mirrissimo pretio comparare, velit soluere rigorosum, & summum, merito dici potest vltra condignum, id est, vltra æquitatis debitum rem soluere voluisse. Sic ergo Deus potuit fortasse intra latitudinem illius præmii minori gloria, vel minori gratiæ augmento condigne retribuere meritis iustorum, nihilominus tamen voluit mensuram bonam, & coagitatam, ac superfluentem illis promittere, intra latitudinem tamen iustæ mensuræ, vt supra explicabamus.

Gradetur.

banus, & ipsa metaphora indicat, hoc ergo satis esse poterit, ut ultra condignum premium conferre dicatur. Suaderique potest hic sensus ex alia parte illius axiomatis, quod *Deus punit circa condignum*: Nam optime in hunc modum explicatur, quod cum Deus possit iuste pro singulis peccatis, grauiores penas taxare, nihilominus ex benignitate mitigauit illas, & minus graues imposuit: & hac ratio dicitur punire circa condignum, quam taxare potuisset, non vero aliquid diminuendo de pena, quæ taxata esset, ut omnes docent. Quia lex illa ex absoluto Deo deareto definita est, & ideo non mutatur, iuxta illud Machæi quinto. *Non exiis inde, donec reddas nossumus quadrantem*, & Iacob. 2. *Iudicium sine misericordia ei, qui non facit misericordiam*. Et ita est res certa de lege, in qua posset quidem Deus dispensare ex privilegio, si uellet, tamen id scilicet sine temeritate affirmari non potest, nisi ex reuelatione conflet. Nihilominus tamen pena, quam de facto singulis peccatis taxauit, iusta, & condigna est, quia hæc penæ æqualitas non est indubitable, sed morale habet latitudinem, & uarietatem, ideoque licet mitti pena taxata sit, potest moraliter iusta, & condigna esse, & ita diuersis respectibus erit digna, & circa condignam, ergo seruata proportione potest dici meritum, licet condignum fit, esse ultra condignum comparatione minoris præmii, quod posset etiam esse sufficienter dignum. Et fortasse D. Thomas, Bonaventura, & Richardus in quarto, in hoc sensu loquuti sunt.

15.
5. Respon-
sio.

Quintus sensus esse potest, vt primum red-
datur vltra condignum non quoad essentialia, id est,
quoad augmentum gratiæ, vel essentialis beatitudi-
nis, sed quoad accidentalem gloriam. Dat enim
Deus beatis plura dona pertinetia ad perfectionem
accidentalem status beatifici, sine quibus posset suf-
ficientissime premiare merita per solam sui vizio-
nem, amorem, & fruitionem, quæ quidem dona
per se magna sunt, & insignium operum prætiæ
condigna esse possent: & ideo ratione illorum potest
simpliciter dici, Deum conferre primum vltra
condignum. Quis sensus fuit ita Scholasticis allega-
tissent, autem, si non, per se probabilis est. Oportet
tamen aduerte, dona gloria accidentalis non esse
ita extrinseca, & gratia ad essentiali gloriæ, quin
aliquo modo sint illi debita, scilicet ex quadam de-
centia, ita vt possint dici illi connaturalia: nam ani-
mæ videntur Deum, et quæ perfectè diligenti debe-
re omnis decens ornamens, & perfectio voluntatis,
& intellectus, & animæ sic gloriose corpus etiam
gloriosum debetur, & corpori glorioso locus etiam
proportionatus preparari debuit, & sic de cæteris.
Et quæuis in hac etiam perfectione accidentali
posset considerari etiam latitudo, & varietas, ita vt
posset minor ornatus gloriæ accidentalis esse effi-
ciens, nihilominus id totum decoris, & accidentalis
perfectiōis, quod Deus essentiali gloriæ coniun-
xit, proportionem debitam cum essentiali gloria
non excedit. Vnde fit, vt ipsa accidentalis gloria
dici non possit omnino extra meritum condignum
iustorum, quia merendo essentialem gloriam, con-
sequenter accidentalem meruerunt, vt supra de-
clarauimus, ideoque non potest de facto ita vltra con-
dignum eximitari, ac si omnino liberaliter, & si-
ne respectu ad condigna merita conferatur: sed tan-
tum, quia permittit Deus, salua iusticia minorem
vel etiam nullum gloriæ accidentalis ornatum
essentiali gloriæ coniungere. Et hic sensus ad
precedentem reduciatur, solumque differt, quia
in accidentalis gloria considerat, quod in illo quarto
sensu etiam de gradibus essentialis gloriæ dicebatur.

16.
Ultima re-
sponsio.

Sexto potest alius sensus excogitari, videlicet, ut Deus dicatur præmiare ultra condignum, non tantum in qualitate, vel quantitate præmii, sed etiam in modo se obligandi ad conferendum illud.

Hoc enim, & ad dignitatem meriti, & ad moralem
 altimationem conferre videtur. Declaratur, quia
 homo etiam in gratia constitutus nunquam potest
 Deum suis operibus sibi debitorem facere, cum ve
 ad conferendum præmium condignum ex iustitia
 obligare, nisi Deus ipse sua benigna, ac liberali, &
 antecedenti promissione, seu pacto hominibus obli
 gari voluisset, sub conditione operum illis cer
 tant, & condignam mercedem promittendo. Er
 go merito dici potest, in modo reddendi præmium,
 condignitatem operum excedere. Imo conse
 quenter hoc redundat in ipsum præmium, vt ex gra
 tia quadam, ac subinde ultra condignum dari cen
 seatur. Potuisset enim Deus omnia hominum o
 pera, tanquam obsequia sibi debita, nullo præmio
 pro eis dato recipere, imo ex ipsiusmet bonis operi
 bus, tanquam ex donis à se datis gratiam postulare,
 & ideo ultra condignum fuit, se ad reddendum
 pro illis præmium obligare. Et hoc significauit
 Cælestinus Papa Episcopus prima, capitulo Duo
 decimo, & sumitur ex illo Concilii Tridentini ses
 sione sexta, capite decimo sexto, dicentis, *Tantum*
esse Debonitatem, vt nostra velit esse merita, qua sunt ip
sus dona. Quatenus ergo præmium illud est ultra
 debitum, dici potest ultra condignum. Hoc au
 tem in sensu diuino (vt sic dicam) non in compo
 sito intelligendum est, id est, considerando præcise
 dignitatem nostrorum operum etiam vt à gratia
 proficentium, præcio diuino pacto, nam illo
 adiuncto, iam seruatur condignitas. Et ita totus
 excessus, seu liberalitas in promissione antecedenti
 consistit, illa enim non poterat esse hominum o
 peribus debita, cum sit prior illis, neque sine illa po
 tuissent nostra opera Deum ex iustitia obligare, vt
 supra ostendimus: illa autem posita verum ius ius
 titiæ acquirimus, & ideo ex hypothesi, seu in sensu
 composito, etiam in hoc seruatur condignitas, licet
 simpliciter in liberalitate fundetur. Quod ad ex
 plicanda nonnulla Sanctorum, & Theologorum di
 cta notari potest.

Superest ergo vt ad testimonia Sanctorum Pa-
trum, quatenus contra assertionem principalem *Expenditur Patrum*
allegari possunt, respondeamus. Et in primis Grego-
rius, & Fulgentius sine dubio in secundo, vel tertio *dicta in n.*
sensu loquuntur, vt ex contextu eorum, & ex eo
loco Pauli, quem allegat, manifestum est. Atque
eodem modo aliqui Hilarium exponunt, & est proba-
bilis expositio, præsertim si postrema eius verba
statim citanda spectentur. Quia vero non dicit,
Plus præmij, sed plus meriti consequetur, responderi ali-
ter potest Hilarium non dicere, quod ex misericor-
dia Dei præmium excedat meritum, sed quod li-
cet vita iustorum per iustitiæ operationes proba-
bilis sit, per Dei misericordiam, id est, per gra-
tiam Dei plus meriti, quam ex industria, vel di-
ligentia ipsorum iustorum consequetur, vel quia
plus valoris habet à gratia, quam à voluntate ius-
torum, vel quia Deus ex sua misericordia eum,
qui probabiliter viuere priorī gratia, plus semper
excitat, & adiuvat, vt plus meriti consequatur, vti-
que in hac vita. Vnde paulo ante dixerat, quod
ipsa iustitia opera ad perfectā beatitudinis meritum non suffi-
ciunt, nisi misericordia Dei etiam in hac iustitiæ volunta-
te humanarum demutationum, & motuum vitia non re-
peter. Vbi clare loquitur de misericordia, quam Deus
in hac vita iustis confert, vel eorum venialia peccata
remittendo, vel eorum negligentias, & animi remis-
sionem tolerando, & ita dissimulando, vt illis non ob-
stantibus, eos ad proficiendum in meritis prouocet,
& adiuvat. Et hinc ait, dictum esse à Propheta. *Melior
est misericordia tua super vitas,* & tunc subiungit verba
allegata: *Quia quamuis probabilis per iustitiæ operationem
vita iustorum sit, tamen per misericordiam Dei plus miseri-
cordia Dei muneratur, vt miserans iustitiæ voluntatem, a-
termittat in quoque sua iustum quemque tribuat esse participem.*

An sit aliquod meritum de congruo distinctum à merito de condigno, quod sit verum meritum hominis apud Deum?

18. Ad Basilium respondeo in prioribus verbis loqui de iudicio, & misericordia, quæ Deus in hac vita misericordibus exhibet, sic enim ait, *Erudiri nos per Scripturas, quemadmodum, nec misericordia Dei sine iudicio, nec iudicium sine misericordia sit, quia nostra infirmitati commensuratur, & benignitatis affectu nos castigat.* Non loquitur ergo de retributione futura, sed de huius vite providentia. Quod si sententia illa referatur etiam ad futuram retributionem, coincidet cum illa generali Theologorum sententia, quod Deus etiam in puniendis malis, & præmiandis iustis misericordiam simul cum iustitia seruat, quæ multis rationibus vera est etiam in præmio iustorum, etiam si meritum non excedat, ut satis ex dictis intelligi potest. In ultimis autem verbis, in quibus aperte loquitur de iustorum futura retributione, ultimum sensum à nobis expositum aperte indicat. Dicit enim, præmium illud non reddi ut operibus debitum, utique ex virtute ipsorum operum, sed ex munificentissima Dei gratia, quæ liberalem promissionem tanti præmii suæ gratiæ adiunxit, illa enim est munificentissima gratia, cui (ut ait) spes iustorum de Deo bene merentium innuitur. Quæ expositio est facilissima, iuxta translationem Godofridi Tilmanni, quam in nostro Latino Codice habemus. Iuxta aliam vero translationem loco illorum verborum, *Non tantum debitum operibus redditum, habetur, Non ob eorum merita factorum, quæ verba obscuriora sunt, quia non solum debitum, vel condignitatem, sed omnino meritum videntur excludere, quod alienum est à veritate, & à doctrina eiusdem Basilii, ut constat ex homilia prima Exameron, & aliis locis.* Ideoque illa verba, vel trahenda sunt ad eundem sanum sensum, vel potius vitanda sunt, cum in Græco exemplari non habeantur.

19. Bernardus autem secundum, & sextum sensum simul videtur amplexus, ut in ultimis verbis declaravit. Nam in primis quod dixerat, merita hominum non esse talia, ut itus tribuant, quod si Deus denegaret, esset iniustus, postea per hoc explicat, quod illa merita sunt dona Dei, quæ nos potius faciunt Deo debitores, quam Deum nobis. Quod totum verum est, si merita illa ex parte nostra, & præcisa promissione diuina attendantur, in quo sensu Bernardus loquitur: secus vero si considerentur ut in diuino pacto fundata, ut diximus. Deinde quod dixerat, non posse nos mereri æternam vitam, *Nisi gratis detur & illa*, ambiguum est, nam relatiuum illud, *Et illa*, non videtur ad ipsam vitam æternam referendum, sed ad remissionem peccatorum, de qua loqui inceperat, & ita sensus est planus. Nam fatetur Bernardus, condigna merita vite æternæ, negat autem posse talia merita haberi, nisi gratia gratis data præcesserit, quod certissimum est. Veruntamen licet relatiuum, illa, vitam æternam referat, in eundem sensum reuoluitur, & ab eodem Bernardo exponitur per id, quod postea dicit, *ut taceam, quod merita omnia Dei dona sunt.* Nam ratione illorum potest dici ipsa vita æterna gratis dari, quia ipsa merita gratis donantur, ut sæpe cum Augustino diximus. Et hoc modo pertinet illa sententia ad sextum sensum supra positum. In eo vero quod Bernardus addit, *Quid sunt merita omnia ad tantam gloriam.* Secundum sensum indicat, & iuxta illud est interrogatio illa accipienda. Denique Chrysostomus, in loco citato non tractat de remuneratione vite future, sed de abundantia diuini auxilii in presenti vita, ut ex verbis ipsis manifestum est.

Ad Chrysostomum. in loco citato non tractat de remuneratione vite future, sed de abundantia diuini auxilii in presenti vita, ut ex verbis ipsis manifestum est.

Distinximus in huius libri initio meritum in duos membra, & hæcenus primum, quod de condigno appellatur, prosequuti sumus, reliquum est, ut de altero membro, quod de congruo vocant, disputemus. Et quoniam aliqui Theologi hoc genus meriti reicere videntur, inquirendum primo est, an sit, postea vero quid sit, & quod præmium illi correspondeat, declarabimus. Ex Scholasticis igitur Soto libro secundo de Natura, & gratia capitulo quarto, ex professo conatur ostendere, in nostris operibus nullum esse meritum de congruo, quod in principio probat de operibus bonis moralibus tantum, & sine auxilio gratiæ factis. Deinde vero à s. *Sed verum saltem, &c.* idem tradit de operibus factis ex motione gratiæ. Verum est, ibi obiter admittere meritum de congruo in hominibus iustis respectu aliorum, quia iustus (inquit) potest mereri alteri primam gratiam de congruo, licet non de condigno: Vnde quando negat meritum de congruo, vel loquitur de opere, quo quis sibi meretur, fortasse ductus hoc argumentum, quod si homo est iustus, meretur sibi de condigno & non tantum de congruo, si vero est iniustus, etiam sibi non potest de congruo mereri: vel certe solum intendit excludere meritum de congruo ab homine ante iustificationem: tamen ea, quæ ad hoc suadendum adducit, si valida sunt, absolute in quocunque, & respectu cuiuscunque meritum de congruo impugnant. Vnde etiam Medina. 1. 2. quæstion. 114. art. 6. absolute dixit, hoc meritum de congruo, neque verum, neque proprium esse.

Fundamentum, quod sæpius Soto repetit, est, quia antiqui Patres, & præsertim Augustinus, numquam huiusmodi meriti distinctionem tradiderunt, neque aliud agnouerunt meritum, nisi cui merces respondet; quod est tantum meritum de condigno. Vnde Augustinus de Prædestinatione Sanctorum à principio ex eo quod in Concilio Palæstino Patres tradiderunt, gratiam non secundum merita nostra dari, infert, non solum Pelagium, sed etiam Semipelagianos illa sententia fuisse damnatos. Hæc autem illatio non esset bona, si admittenda esset distinctio meriti de condigno, vel de congruo, quia sine dubio Pelagius de merito condigni loquutus est, & ita de eodem esset illa sententia Concilii intelligenda, & consequenter non resisteret contra Semipelagianos applicaretur, cum illi de merito imperfecto loquuti fuerint, ut in Prolegom. quinto, capit. 6. dub. 7. vidimus.

Secundo argumentatur Soto, quia in homine peccatore ante iustificationem nullum omnino est meritum secundum Augustinum, ergo contra eius doctrinam est attribuire peccatori meritum de congruo, ac proinde distinctio illa superuacanea est, & contra mentem Augustini, imo ad hoc solum videtur inuenta, ut Augustini sententia eludatur. Antecedens probat pluribus testimoniis Augustini. Primum est libri tertii Hypognostice capite quinto: *Præuenitur homo medicina, id est, Dei gratia, ut sanetur.* Quæ verba de gratia sanctificante intelligit, & sensum esse, ante hanc gratiam nullum bonum opus aliquo modo meritorio esse posse. Secundum est in libro de Correctione, & gratia capite primo, ubi facit: *In bono (utique meritorio) liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit. Si vos filius liberauerit, vel liberi eritis.* Intelligit autem hoc de liberatione à peccato, nam subdit. *Nec ita ut cum quisque fuerit à peccato damnatione liberatus, iam non indigeat sui liberatoris auxilio, &c.* Tertium